

ubi opus foret ostendere possemus, eum in re ipsa a nobis non differre.

LXXX. Quod si aliquando, præter prægustum fidelibus communem & ordinarium, extraordinarius quis ac singularis, de quo §. LX. actum est, uni alterive fidei contingat, quem proxime a verbo aut Sacramentis proficiisci non apparet: hoc tamen neque obstat ei, quod ordinarium est; nec negari potest, a verbo & sacramentis: unde fides pendet, nihilominus suo modo dependere: de quo alias, occasione controversiarum cum Enthusiastis, luculentius agendi locus est. Interim saltem hoc relinquitur, quod prægustus ille non fiat sine verbo interno, ac speciebus intelligibiliibus, vel mediante verbo externo, vel mediantibus imaginibus phantasiæ oblatis, vel per immediatam illuminationem intellectui impressis: adeoque ab ipsa intuitiva Dei visione, quæ vitæ alterius est, plurimum differat.

LXXXI. Paucis etiam de eo videndum: an? & qua ratione prægustus vitæ æternæ *ad corpus* hominis fidelis sese diffundat? cuius quæstionis, §. XXI. indicatæ, decisionem hucusque distulimus. Falsum utique est, spiritualem illam objecrorum supernaturalium perceptionem, *ad corpus*, quod materiale est, formaliter pertinere. Sed nec dici potest, perfectiones illas corporis, quæ in altera vita locum habebunt, atque ad integratatem beatitudinis pertinent; (quarum §. VII. mentionem fecimus;) videlicet impassibilitatem, agilitatem, claritatem, jam in hac vita anticipando conferri, & sic beatitudinem prægustari. Imo ne de his quidem hic sermo est: ut ex dictis constat. Veruntamen quia magnum atque arctissimum est animæ cum corpore, dum huic illa conjuncta est, commercium: ac non solum, quando mens contemplationibus rerum sublimium attentius vacat, sensus externi quodammodo quiescere solent; sed & quando voluntas bonum aliquod, etsi immateriale ac supernaturale, amando complectitur, ac de eo gaudet; fieri potest, ut etiam *spiritus* animales, qui sunt in corpore, in consensum vocentur, ac leviter commove-